

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Magnanimitas k
cum fonte primo

Magno animo nichil est magnum.

Contemnite omnia quae supervacuum labor velut ornamentum ac decus ponit; cogitate nihil praeter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 8, 5 (L. Reynolds ed., vol.1, p.15, ll.19-21).

Stilbon philosophus

Nihilominus cum sit amicorum amantissimus, cum illos sibi comparet, saepe praeferat, omne intra se bonum terminabit et dicet quod Stilbon ille dixit, Stilbon quem Epicuri epistula insequitur. Hic enim

capta patria amissio rerum et cetera.

capta patria, amissis liberis, amissa uxore, cum ex incendio publico solus et tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, num quid perdidisset, 'omnia' inquit 'bona mea mecum sunt'.

Ecce uir fortis et strenuus
ipsam sui hostis uictoriam uicit.

Ecce uir fortis ac strenuus!
ipsam hostis sui uictoriam uicit.
'Nihil' inquit 'perdidi': dubitare illum coegit an vicisset. 'Omnia mea mecum sunt': iustitia, virtus, prudentia, hoc ipsum, nihil bonum putare, quod eripi possit. Miramur animalia quaedam quae per medios ignes sine noxa corporum transeant: quanto hic mirabilior uir qui per ferrum et ruinas et ignes inlaesus et indemnus evasit! Vides quanto facilius sit totam gentem quam unum uirum vincere?

Facilius est totam gentem
quam magnanimum uincere.

Seneca XXIII. epistola.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 9, 18-19 (L. Reynolds ed., vol.1, p.21, ll.5-20).